

Sed contra est, quod medicina non est necessaria nisi ægroto, secundum illud Matth. 9: Non est opus sanis medicus; sed sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum.

Respondeo dicendum, quod in statu innocentie ante peccatum sacramenta necessaria non fuerint. Cujus ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, et ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentie homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem.

Ad 1 ergo dicendum, quod homo in statu innocentie gratia indigebat, non tamen, ut eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter et invisibiliter.

Ad 2, dicendum, quod eadem est natura hominis ante peccatum et post peccatum, non tamen est idem naturæ status. Nam post peccatum, anima etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem, quod in illo statu homini necesse non erat.

Ad 3, dicendum, quod matrimonium fuit institutum in statu innocentie, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ: ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum et Ecclesiam, sicut et omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.

COMMENTARIUS.

Quid quærat, quæritur. — Intelligentia quæstio de statu innocentie, qui fuit, et qui futurus esset, nisi Adam peccasset. — Circa intelligentiam tituli hujus articuli dissentiunt inter se interpretes D. Thomæ. Cajetanus enim existimat D. Thomam non habere questionem de statu innocentie absolute, prout futurus esset, si homo non peccaret, sed solum prout de facto fuit in primis hominibus ante peccatum; ita ut hic non tractetur quæstio quasi conditionalis, scilicet, an si status innocentie durasset, et in eo multiplicarentur homines,

indigerent sacramentis, sed absoluta, utrum Adam et Eva deberent aliqua sacramenta accipere antequam peccarent. Fundatur Cajetanus primo in verbis tituli, quia non quæritur, utrum in statu innocentie, sed utrum ante peccatum. Secundo in solutione ad secundum, in qua dicitur ante peccatum non indignis hominem corporalibus rebus, ut ab eis aliquam perfectionem animæ acciperet, quod est verum de Adam et Eva, non tamen esset verum de omnibus hominibus, si status innocentie duraret; acciperent enim scientiam a corporalibus rebus. Tertio juvat hanc expositionem, quod juxta illam resolutio articuli est vera, et facilis; in alio vero sensu est valde difficilis, ut videbimus. At vero Soto et Ledesma intelligunt D. Thom. quærere de statu innocentie, tam qui jam fuit in primis hominibus, quam qui futurus esset in omnibus, si Adam non peccasset. Qui sensus et simplicior et verior est sine dubio. Primo, quia D. Thomas in discursu hujus quæstionis tractare voluit de necessitate sacramentorum in omnibus temporibus et statibus hominum, quod non plene fecisset, nisi in hoc posteriori sensu quæstionem movisset. Secundo, quia in discursu articuli non fundatur Adam et Eva ante peccatum, sed in communi ratione et rectitudine status innocentie, quæ futura erat in hominibus, si peccatum non intercessisset. Tertio, quia tam in corpore articuli, quam in solutione ad primum, pro eodem ducit D. Thomas agere de statu innocentie, quam de primis hominibus, et ita ratio sumpta ex titulo articuli nullius momenti est; neque etiam ratio desumpta ex solutione ad secundum, quia D. Thomas non intendit excludere ab illo statu perfectionem homini connaturalem, qualis est uti rebus corporalibus, ut objectis ad scientiam acquirendam; quia hoc nihil pugnat cum perfectione illius status. Unde de ipsomet Christo, qui perfectiorem statum habuit, quantum ad animam, docet alibi D. Thomas hoc modo accepisse naturalem scientiam a rebus; et de Adam et Eva negari non potest, quin aliquo modo proficere potuerint ante peccatum ex sensibilibus objectis, saltem quantum ad experimentalem scientiam. Loquitur ergo D. Thomas de supernaturali perfectione scientie et gratie, in quibus non expediebat hominem in statu innocentie proficere per usum rerum sensibilium, neque illis subjici ad hujusmodi fructum capiendum, propter rectitudinem ac perfectionem illius status; et ita est perspicua

littera et sensus D. Thomæ; de re autem ipsa commodius disputatione sequenti dicemus.

DISPUTATIO III.

DE SACRAMENTIS QUÆ FUTURA ESSENT IN STATU INNOCENTIE.

In præcedentibus disputationibus tractavimus, quid sit sacramentum, ante quæstionem, an sit, propter rationem ibi traditam; reliquum ergo est, ut quæstionem ibi ex accidenti omissam disputemus, antequam ad effectus, vel causas sacramentorum progrediamur. Quoniam vero sacramenta habent suum esse ex institutione, idem est quærere, an sacramenta sint, et an facta sit eorum institutio; et quoniam Deus, qui solus est sacramentorum institutor, ut postea dicemus, nihil nisi ex certa ratione, necessitate, vel utilitate operatur, ideo, investigando sacramentorum institutionem, necessario inquirendum est, quæ fuerit causa, vel necessitas illa instituendi; hæc ergo tria simul tractanda sunt; unde simul ex parte obiter explicabitur finalis causa sacramentorum, quæ est eorum utilitas vel necessitas, hæc enim duo idem in hac materia significant, ut in Commentario art. 4 notavi, et latius tractant Scotus, in 4, dist. 4, quæst. 3, et Gabr., q. 2, art. 4. Quamvis autem D. Thomas prius generalem quæstionem de homine præmiserit, quam de singulis statibus hominis disputaverit, tamen claritatis gratia, illa prætermissa, de singulis statibus sigillatim dicemus: quia cum non sit in omnibus æqualis congruentia, vel necessitas, neque eadem institutio et ratio sacramentorum omnibus conveniat, non tam commode potest sacramentorum necessitas in communi explicari, quam in particulari; præsertim, quia de illa generali quæstione sufficiunt quæ D. Thomas tradit; et quæ dicemus de homine in statu innocentie, omnia applicari poterunt homini secundum se considerato, nam certum est, ex statu innocentie non fuisse ortam specialem necessitatem sacramentorum, unde, si quæ in illo fuit necessitas, hæc nata est ex natura hominis secundum se.

In hac ergo disputatione dicemus de statu innocentie, in sequentibus vero de statu post peccatum juxta diversa tempora, ætates et leges a Deo datas. Consideratio autem sacramentorum fieri potest, vel secundum propriam et specificam rationem sacramenti, vel

secundum communiorem rationem divini cultus externi, quas duas rationes sæpe confundunt auctores in præsentia materia, cum tamen valde diversæ sint, et ratio externi cultus latius pateat, quam ratio sacramenti; quia ergo de statu innocentie utraque in dubium verti potest, ut a communiore et clarioribus procedamus, dicemus prius de cultu in communi, deinde de sacrificio, postea de sacramento.

SECTIO I.

Utrum in statu innocentie colendus esset Deus ab hominibus cultu externo, privato et publico.

1. In quæstione hac non invenio inter Catholicos dissentientes sententias, neque etiam fuerunt aliqui hæretici, qui de illo statu specialiter hoc negarent, præter eos, qui in universum hunc externum cultum rejiciunt, ut per se malum in hoc statu, contra quos non est hoc loco disputandum, tum quia est absurdissima hæresis et sine fundamento, tum quia est valde generalis ad materiam de religione pertinens.

2. Cultus Dei externus valde consentaneus esset in statu innocentie. — Dicendum est ergo primo: cultus Dei externus per actiones corporis valde consentaneus esset hominibus in statu innocentie, unde et probabile est de facto in eis fuisse, et longe probabilis futurum fuisse, si homo non peccasset. Hanc conclusionem existimo certam ex ipsa naturali ratione, quia hic cultus externus non est ex accidenti, seu per occasionem introductus ratione peccati, sed est per se debitus Deo, eo quod est auctor humanæ naturæ, quæ animo et corpore constat; hæc est enim fundamentalis ratio hujus, qua sæpe Patres utuntur, ut in superioribus visum est, et latius in materia de religione tractatur; sed hæc ratio eodem modo obligaret in statu innocentie, in quo etiam homo constaret corpore et anima; ergo utriusque actibus deberet colere Deum auctorem suum. Secundo est alia ratio sumpta ex consortio et societate aliorum hominum; est enim naturalis homini vita politica et socialis; et ideo non satis est, ut interius credat et colat verum Deum, sed etiam oportet, ut ore et opere suam fidem et religionem ostendat; sed hæc ratio tota haberet locum in statu innocentie, in quo et homines politice et non solitarie viverint; neque enim alia vivendi ratio perfectioni illius status fuisset consen-

tanea; et unus non cognosceret interiores actus alterius, nisi quatenus per exteriores manifestarentur; ergo necessarium erat, ut in eo statu, non solum esset vera religio, sed etiam exterior ejus professio, quæ non fit nisi hoc exteriori cultu religionis. Tertio, naturale est homini, uti corpore et animo in suis actionibus; ergo maxime in divino cultu. Quis enim potest excogitari decentior usus facultatum et actionum corporis, quam divinus cultus? Sicut ergo non esset indecens homini in statu innocentiae animo et corpore constare, ita neque offerre cultum Deo suo modo spiritu et corpore compositum. Confirmatur, quia actiones corporis juvare solent ad actiones, mentis et animi devotionem excitare; hunc autem usum possent habere etiam in statu innocentiae.

3. *Objectio. — Responsio. — Homines beati externo cultu Deum laudabunt. —* Dices: his rationibus probaretur etiam in statu gloriae post resurrectionem corporum futurum esse divinum cultum externum, ac sensibilem. Respondetur in primis non esse omnino eandem rationem, quia in gloria resurget corpus spirituale, et anima multo magis erit independens ab actionibus ejus; erit enim intensissima Deo, absque consortio seu concursu corporis; in statu vero innocentiae quamvis corpus esset in perfectiori statu, quam nunc sit, tamen revera esset corpus animale, et licet anima perfectius illi dominaretur, tamen etiam posset ab illo juvari, ut perfectius interiores actus exerceret et vehementius ad illos applicaretur; penderet enim intellectus in cognitione sua a phantasmatis, et affectus omnino spirituales conjunctionem haberent cum affectibus corporis, et consequenter cum objectis sensibilibus, a quibus hi excitantur. Deinde dicitur, verum esse, in beatitudine futurum esse externum Dei cultum: laudabunt enim Sancti Deum, non tantum mente, sed etiam voce et actibus corporis, et praesertim indubitatum est adoraturus Christum Deum hominem, exteriorem reverentiam illi exhibendo.

4. *Homines in statu innocentiae publico ritu Deum colerent. — In republica praecipuum debet esse negotium religionis. —* Circa hanc vero assertionem inquiri potest, utrum hic cultus externus futurus esset in statu innocentiae privatus tantum pro uniuscujusque arbitrio, an vero etiam publicus, nomine totius Ecclesiae vel reipublicae solemniter aliquo ritu exhibitus; nam rationes factae solum vi-

dentur procedere de priori modo cultus. Respondetur, licet conclusio certior sit de ritu privato, veram tamen videri etiam de publico, propter illam praecipue rationem, quia homo natura sua est politicum animal, et ideo naturale est hominibus in unum populum, vel rempublicam congregari; esset ergo hic modus societatis in statu innocentiae, nam per se bonus est, et humanae naturae conveniens et non tantum occasione peccati; ergo homines, sic congregati in unum corpus politicum, deberent etiam in unum religionis nomen congregari. Nam in omni republica bene instituta primum ac praecipuum esse debet religionis negotium, ad cujus debitam institutionem, ordinem, conservationem et augmentum reliqua omnia, si necesse fuerit, referri debent; non enim posset honestas morum recte in humana republica institui et conservari, nisi ratio divini cultus principem locum haberet; non possunt autem homines congregari in unum nomen religionis, nisi medio aliquo cultu Dei externo et sensibili, ac toti reipublicae communi, ut constat ex D. Augustino, 19 contra Faustum, cap. 11, et ex ratione facta, quia homines non vident actiones animi, sed corporis. Secundo est etiam optima ratio, quia sicut recta ratio dictat, ut unusquisque privatus homo suo proprio corpore et animo, et privatis actionibus colat Deum, ita etiam dictat, ut tota respublica, prout est unum corpus politicum, unum etiam cultum quasi communi consensu Deo offerat; sed hoc est colere Deum publico et solemniter cultu; ergo. Tandem, nam in statu innocentiae futura esset una humana congregatio, seu respublica, sive omnino una, sive in varios populos, vel regna, esset dividenda; hoc enim nihil ad praesentem disputationem refert; ergo eadem vel majori ratione futura esset una Ecclesia; magis enim ad spiritualem finem quam ad temporale commodum, in unum corpus congregarentur homines, quorum unum esset interior fides et intentio ejusdem beatitudinis acquirendae; esset igitur illa Ecclesia visibilis, quia hoc est de ratione Ecclesiae militantis et ex visibilibus hominibus compositae; ergo necessarius esset in illa Ecclesia visibilis cultus religiosus, publicus et communis, ut in eo omnia unius Ecclesiae membra convenirent. Neque contra haec omnia invenio objectionem aliquam, vel difficultatem, quia nullam habent repugnantiam vel indecentiam in illo statu, et ex ipsa naturali ratione bene instituta, et praesertim fide

illustrata consequuntur absque aliis legibus positivis, vel speciali divina institutione, quae necessaria sit; posset enim totus hic cultus hominum arbitrio relinqui et ex rerum consensione, vel majorum traditione definiri.

SECTIO II.

Utrum in statu innocentiae futurus esset sacrificiorum et oblationum cultus.

1. *Sotus negat futura fuisse sacrificia. — Contraria sententia melior, et doctrinae D. Thomae congruentior. —* Duplex intelligi potest externus ac sensibilis Dei cultus. Alter, qui fit solis actionibus et organis corporis humani, alter qui fit aliquo usu externarum rerum. Priorem exercemus, quando voce Deum oramus, vel laudamus, quando genua flectimus, vel similes actiones exercemus, quae non habent aliam materiam, circa quam versentur, praeter nostri corporis membra et eorum usum. Posteriori vero modo colimus Deum, quando res externas illi offerimus, vel sacrificamus, cereos accendimus, vel thus, aut incensum adolemus in ejus honorem. Unde pendet explicatio questionis propositae, an in illo statu futurum esset sacrificium. Soto enim negat in statu innocentiae futura fuisse sacrificia, quia omnis finis et ratio sacrificiorum in eo statu cessaret; quia tunc non essent peccata, et ita non essent necessaria sacrificia satisfactoria, neque esset varietas cultus, aut religionis, quia omnes uno ore colerent, et adorarent Deum, et omnibus esset notum, omnes esse ejusdem Dei cultores et amicos, ac justos, quia omnes essent in justitia procreati, et nulla tunc essent peccata, atque ita non essent necessaria sacrificia, vel ad manifestationem, vel ad distinctionem verae religionis. Neque etiam ad memoriam beneficiorum Dei, quia aliis modis essent tunc homines sufficienter instructi de divinis rebus ac beneficiis. Nec denique ad gratias agendas conferrent sacrificia, quia omnes tunc simplici corde et ore Deum laudarent. Confirmatur primo, quia vane offeruntur res sensibiles, nisi cessurae sint in usum ministrorum et templorum; tunc autem non essent ministri, neque templa, neque etiam quisquam aliqua re indigeret, quia omnia essent communia; ergo tales oblationes tunc nullius essent momenti; ergo et nullius meriti vel laudis. Tandem confirmatur, quia seclusa significatione, vanum ac fu-

tile est hujusmodi sensibilia sacrificia facere; sed haec significatio non esset necessaria in statu innocentiae; ergo. Haec vero rationes non me ita movent, quin contrariam sententiam valde probabilem existimem, et consentaneam doctrinae D. Thomae, qui nunquam negavit in eo statu futura fuisse sacrificia; quin potius 2. 2, quaest. 85, art. 1, absolute dicit offerre sacrificium esse de lege naturae, quia ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam rebus sensibilibus utatur, ut per earum oblationem subjectionem ad Deum significet, et divinum dominium recognoscat, et similia repetit art. 4. Hoc autem naturale dictamen de offerendo Deo sacrificia, non oritur ex occasione aliqua orta ex peccato, ut ex ratione facta constat, sed ex subjectione et illius recognitione, quam homo debet Deo propter supremum ejus dominium. Quae ratio ita potest ex dictis confirmari, quia homo non tantum accepit a Deo corpus et animam, sed etiam res externas, quibus ad corporis conservationem, et animi profectum, oblationem, vel exercitium utitur; ergo non solum debet corpore et animo Deum colere, sed etiam rebus externis, quarum oblatione, consumptione, aut alio simili usu, Deum esse omnium dominum protestetur, eique gratias agat, juxta illud 1 Paralip. 29: *Tua sunt omnia, et de his, quae de manu tua accepimus, reddimus tibi*; quae tota ratio et congruentia locum haberet in statu innocentiae. Denique hujusmodi usus rerum sensibilibus est per se decens, et honestus, et non includit imperfectionem statui innocentiae repugnantem, ut ex dictis facile constat, et ex his, quae Soto objicit; nullam enim in hoc actu imperfectionem ostendunt.

2. *Etiam si Adam non peccasset, probabile est alios peccaturos. — Sacrificiorum satis magna causa est gratiarum actio, etc. — Quae significatio sit de essentia sacrificii. — Ex sola obligatione legis naturae non potest certo colligi futura sacrificia, si justitiae donum perseverasset. — Adam obtulisse sacrificium ante peccatum, cur negetur, omnino non est. —* Ad primam enim et praecipuam rationem in primis dicitur, eum supponere, si Adam non peccasset, nulla fuisse futura hominum peccata; quod non solum incertum est, sed etiam minus probabile; nam per justitiam originalem non magis confirmarentur homines in gratia, quam Adam ipse fuit in sua creatione et prima justificatione confirmatus; sicut ergo ille peccavit, potuissent alii

peccare, etiamsi ipse non fuisset lapsus, neque in illo tota natura corruisset. Quod si peccarent aliqui, cessant omnes rationes Soti; nam pro illis possent fieri sacrificia, vel satisfactoria vel deprecatoria a viris sanctis et justis; possent etiam adeo multiplicari peccata, ut diversi ritus religionis, vel veræ aut falsæ, ab hominibus instituerentur. Deinde seclusis omnibus peccatis, esset sufficiens ratio ad instituenda sacrificia, exhibitio divini honoris, et gratiarum actionis, et causa etiam aliquid impetrandi a Deo. Quanquam enim possent hæc omnia homines corde et ore facere, decebat tamen ut etiam externis rebus hoc facerent, ut omnibus modis animi gratitudinem et recognitionem ostenderent. Quod vero de usu templorum, ac ministrorum obicitur, valde accidentarium est, et extrinsecum ad institutionem, honestatem et utilitatem sacrificii; ut in lege gratiæ, si solum sacrificium nude ac per se spectetur, obligatio, quæ in eo fit, non cedit in usum templorum, vel ministrorum; imo si tales essent homines, ut nulla re indigerent, purius ac sincerius illud sacrificium offerre possent. Atque eadem ratione impertinens est, quod bona sint communia, quia sacrificium non habet honestatem ex eo quod homo ex propriis bonis aliquid amittit, vel consumit, ut videre licet in sacrificio Missæ, in quo offerendo fere nihil ex temporalibus bonis consumitur, et æque religiose fieri posset ex bonis communibus, sicut ex privatis; ergo propter has causas extrinsecas non est negandum sacrificium in statu innocentiae, cum per se et intrinseca ratio ejus cum perfectione illius status non repugnet, sed maximam habeat congruentiam. Unde circa id, quod in ultima confirmatione dicebatur de significatione sacrificii, distinctione opus est, quam latius inferius tradituri sumus. Est enim in sacrificio significatio quaedam moralis, quatenus est signum interioris sacrificii, et hæc sola est de essentia sacrificii, quæ non repugnabat statui innocentiae, nam in eo etiam naturale esset hominibus interiorem mentem exterioribus ac sensibilibus signis manifestare, tam verbis, quam factis et rebus. Alia est significatio mystica, quatenus per sacrificium significatur aliquod supernaturale divinum mysterium, et hæc non est de essentia ac necessitate sacrificii, absolute et simpliciter loquendo; et ideo, quamvis gratis

concederemus hanc significationem non fuisse futuram in statu innocentiae, non inde fit, tunc non fuisse futurum sacrificium; quamquam improbabile non est, potuisse tunc esse significationem aliquam mysticam alicujus divini mysterii, ut v. gr. Christi Domini, qui in eo statu venturus esset, etiamsi homo non peccasset; quia sicut hæc mysteria possent tunc significari ab hominibus per verba sensibilia, vel per scripta, ita etiam per facta, vel res externas; cur enim hoc posterius repugnat perfectioni illius status, potius quam illud prius? Mihi igitur probabilius est, usum sacrificii potuisse habere sufficientem congruentiam in statu innocentiae, et neque indecentiam ullam fuisse allaturum, ac denique (quod certius est) non futurum fuisse malum, nec contra rationem, nec speciali aliqua Dei lege prohibendum; vanum enim esset, sine fundamento vel ratione aliqua, hujusmodi legem fingere. An vero de facto futurus fuisset talis usus sacrificii, si homo non peccasset, non existimo posse certa ratione affirmari, quia licet hoc sacrificium dicatur esse de lege naturæ, vel secundum rationem communem cultus externi, vel quia est consentaneum rationi naturali, tamen simpliciter non est in præcepto naturali, proprie loquendo de sacrificio, prout consistit in sacra oblatione externarum rerum sensibilibus; igitur ex sola obligatione legis naturæ non potest certo colligi, homines perseverantes in justitia originali usuros fuisse sacrificiis; penderet enim hoc ex eorum arbitrio, vel certe ex divino, si hujusmodi legem eis vellet imponere. Si tamen credendum est, facturos fuisse homines in eo statu quod esset magis congruum, magisque humanæ naturæ ac recte rationi consentaneum, credibilis est, fuisse usuros aliquo sacrificio, propter rationes supra factas. Denique, si quaeratur, utrum Adam et Eva ante peccatum aliquod sacrificium obtulerint, id multo magis incertum est, nam sicut id affirmare non possumus propter illius temporis breviter, ita neque est sufficiens fundamentum ad id negandum; nam licet Scriptura hoc non referat, non inde sequitur factum non esse, ut in simili dixit D. Thom., 2. 2, quæst. 85, art. 1, ad 1, ubi dicit credendum esse, Adam obtulisse sacrificium, licet non legatur; loquitur autem absolute de Adam, non distinguendo de tempore, ante vel post peccatum.

SECTIO III.

Utrum in statu innocentiae fuerint sacramenta, vel futura fuissent peccato non existente.

1. *Hæc sententia censet omnia sacramenta orta occasione peccati.* — Prima sententia negat; tenet Hugo Victor., lib. 4 de Sacram., p. 9, cap. 3 et 5, et in Sum. sent., tr. 9, c. 4, ubi omnes congruentias sacramentorum ortas dicit occasione peccati. Et hæc videtur esse mens D. Thomæ, ut diximus; quamvis enim non expresse neget, futura fuisse tunc sacramenta, tamen, cum negat fuisse necessaria, hoc plane intendit, scilicet non fuisse illi statui congruentia, et consequenter, nec in eo futura fuisse; quia Deus suaviter omnia disponit, et in singulis statibus providet quod eis est consentaneum. Idem D. Thomas, in 4, d. 4, art. 2, quæst. 2; et ibi Bonav., art. 4, q. 4; Richard., art. 4, q. 4; et Gabr., q. 2, concl. 4; Major, q. 4; Palud., q. 3, concl. 2; Altisiod., lib. 4 Sum. in princ.; Cajet., Soto, et Ledesma. Fundamentum est, quia sacramenta instituuntur propter supernaturalem perfectionem, vel cognitionem, vel gratiæ; sacramenta enim sunt vel propter significationem, quæ ad cognitionem ordinatur, vel propter effectum, per quam gratia confertur; sed neutro modo debuit perfici homo per sacramenta in statu innocentiae; ergo non est cur tunc instituerentur. Probat minor, nam nobiliora perfici ab inferioribus, non est ordo per se conveniens, nisi vel ex necessitate naturæ oriatur, ut cum homo naturalem cognitionem accipit a sensibilibus, vel cum propter aliquam rationem ortam occasione peccati, ita fieri expedit; sed utraque causa ex his deficit in statu innocentiae, quoad institutionem sacramentorum; ergo. Et confirmatur, quia ordo illius status erat, ut homo secundum partem superiorem dominaretur omnibus rebus, eisque minime subiceretur, quamdiu ipse subjectus esset Deo; ergo durante hac subiectione perfecta hominis ad Deum, non esset ipse subjiciendus sacramentis sensibilibus, ut per ea gratiam vel supernaturalem cognitionem acciperet.

2. *Secunda sententia affirmat, licet in statu innocentiae non esset futura tanta necessitas sacramentorum sicut modo est, non tamen fuisse defuturam sufficientem rationem et causam, ob quam instituerentur.* Ita tenet Alexander, 4 p., q. 1, membr. 2, art. 1; inclinatur etiam Durand., d. 4, quæst. 2, n. 9, nec

dissentit Scotus, q. 3, art. 3; solum enim dicit, in eo statu non fuisse tantam congruentiam ad sacramentorum institutionem, sicut modo est.

3. *Quid in questione involvatur, evoluitur.* — In hac quæstione multa ab auctoribus involvuntur, quæ confusionem pariunt. Distinguenda ergo sunt, ut distincte possimus quæstioni satisfacere. Primum ergo inquiri potest, an in statu innocentiae fuerit sufficiens congruentia ad instituenda sacramenta, an vero talis institutio oppositionem aliquam vel repugnantiam habeat cum perfectione illius status. Secundum, an instituta fuerint sacramenta in eo statu eo brevi tempore, quo duravit; nam licet demus, potuisse hanc institutionem habere convenientem rationem pro illo statu, non statim sequitur, factam esse; quia non semper facit Deus quidquid videtur congruenti ratione fieri posse. Tertium, esto de facto non fuerint talia sacramenta, an futura fuissent, si homines in illo statu perseverassent.

4. *Sacramenta esse in statu innocentiae non dedecet.* — *Significationis sacramentorum variae utilitates.* — *Filii Adæ scientias sibi compararent.* — *Species rerum fidei non infunderentur cum fide.* — *Congruentiæ variae.* — Dicendum est primo, sacramentorum institutionem non esse contra debitum ordinem et perfectionem illius status, quinimo potuisse in eo habere sufficientem causam et congruentiam. Probat, quia dupliciter possunt considerari sacramenta, uno modo, ut signa, alio modo, ut causa gratiæ, et utroque modo possunt habere convenientem rationem in illo statu. Primo de significatione probatur, quia sacramenta, ut signa, non tantum sunt ad acquirendam cognitionem, sed ad alias utilitates. Prima, ad exprimendam et profitendam interiorem fidem. Secunda, ad excitandam memoriam, et affectum. Tertia, ad quandam representationem supernaturalium mysteriorum, et faciliorem eorum apprehensionem. Quarta, ad consensionem, et unitatem hominum ejusdem religionis in exteriori cultu Dei; sed has omnes utilitates possent habere sacramenta in statu innocentiae sine aliqua imperfectione contraria recto ordini illius status. Quod probo primo, quia in eo statu servaretur naturalis modus humanæ cognitionis, quantum ad hæc videlicet, quod excitaretur homo ab objectis sensibilibus, et intelligeret cum dependentia a phantasmatis, et quia non conciperet res spirituales, prout in se sunt sed per aliquam analogiam ad res sensibiles.

Item filii Adæ non haberent scientias naturales per accidens infusas, sed eas sibi compararent, vel per inventionem ab objectis sensibilibus, vel per disciplinam a parentibus. Unde necessario uterentur signis sensibilibus ad mentis conceptus exprimendos. Quod vero Sotus inquit, hæc habere locum in cognitione naturali, non tamen in supernaturali, quia hæc a principio cum ipsa gratia et justitia infunderetur, hoc (inquam) si recte pensetur, non habet absolutam veritatem in omnibus. Unde non sufficit ad excludenda omnia sensibilia signa supernaturalium rerum. Probat, quia licet cum gratia et justitia infunderetur habitus fidei, sicut nunc infunditur infantibus baptizatis, tamen non infunderentur species et phantasmata, quibus homo indiget ad apprehendendas res fidei, neque fierent omnibus ac singulis hominibus interiores revelationes rerum omnium credendarum, sed per traditionem filii a parentibus acciperent; nam hic est modus connaturalis homini viatori, et nulla est causa ad fingenda miracula, vel novum providentiæ modum. Deberent ergo tunc homines institui in rebus fidei per voces et signa sensibilia, easque apprehendere per habitudinem ad illa, quia in usu fidei a phantasmatibus dependerent; ergo pari ratione, si tunc instituerentur alia signa, quæ in actionibus, vel rebus consisterent, possent habere usum et utilitatem illi statui convenientem absque imperfectione, vel inversione ordinis eidem statui convenientis. Confirmatur argumento supra facto, quia non est dubium, quin tunc essent futura signa vocalia; credibile etiam est futuras tunc fuisse scripturas, saltem ut possent homines cum absentibus loqui. Item verisimile est, futuras fuisse imagines, non solum propter exercendam artem illam nobilem, in qua homo naturam et auctorem ejus quodammodo imitatur, sed etiam, ut res absentes quodammodo præsentem fierent, et præterea in honorem, et venerationem aliquarum personarum, et in signum amoris; in illo enim statu futura esset hæc imperfectio, quod non possent homines omnes res æque habere præsentem, neque oculis intueri, quæ longe distarent. Neque etiam haberent rerum omnium memoriam in actu continuo, sed indigerent ut aliquomodo excitarentur, ad actu considerandas res, quas memoria retinerent; ergo oporteret ad hæc omnia juvari adminiculo sensibilium signorum; ergo pari ratione possent eis ad hos fines esse utiles actiones sacræ, ad significandas spirituales res impo-

sitæ; neque hujusmodi signa essent ab ordine illius status aliena. Tandem, in illo statu futurus erat externus Dei cultus, tam in actionibus, quam in rebus consistens; sed quod Deus hujusmodi cultum ad sacram significationem elevaret, nullam præ se fert indecentiam, nullamque affert imperfectionem, aut perfectionem impedit, et potest habere utilitatem; ergo, si fieret, satis congruentem rationem habere posset.

5. *Sacramenta, ut causæ gratiæ, non tantam habent proportionem cum modo operandi hominis. — Adeptio gratiæ ultra meritum satis magna causa est ad instituenda sacramenta.*

— *Simile. — Non oportet, ut sacramenta instituantur tantum occasione peccati, sed aliis etiam rationibus.* — Secundo, si considerentur sacramenta, ut causæ gratiæ, sub hac quidem ratione habent minorem conjunctionem, seu proportionem cum modo naturali cognoscendi, et operandi hominis, et ex hac parte videtur esse minor congruentia sacramentorum in illo statu, quia talis modus providentiæ nullo modo debetur naturæ aut oritur ex naturali modo operandi ejus. Aliunde vero considerata maxima spirituali utilitate, quæ est in obtinenda gratia, seu augmento ejus ex vi operis externi, ultra omne meritum operantis, est hæc perfectio tanti momenti, ut si Deus vellet eam conferre hominibus in statu innocentiae, ex hoc solo capite esset major congruitas in institutione sacramentorum, quam sit in omnibus aliis conjecturis, quæ in contrarium afferri possunt. Confirmatur et explicatur, nam decuit in illo statu arceri hominem ab esu ligni scientiæ boni et mali, quæ erat quædam arbor sensibilis; quia id factum est propter utilitatem obedientiæ et humilis ad Deum subjectionis; ergo propter eandem obedientiam, et humilitatem, et maxime adjuncto præterea fructu gratiæ ex opere operato, potuisset, et convenienter, et satis congruenter, præcipi homini in eo statu usus alicujus rei sensibilis, quo et Deum coleret et ipse magis sanctificaretur. Tandem, quia conferre gratiam per res sensibiles est unum ex maximis operibus sapientiæ, potentiæ et bonitatis divinæ, quia res infimas cum suprenis in eo opere mirabiliter conjungit, quod est magnæ sapientiæ, et res inferioris ordinis elevat ad perfectiores efficiendas, quod est magnæ potentiæ, ac denique in rebus facilibus et quæ passim usu veniunt, sanctificationem suam et gratiam præstat, quod est magnæ bonitatis et misericordiæ; ergo hujusmodi

opus non solum propter utilitatem hominum, sed per se propter manifestationem divinæ virtutis, poterat in statu innocentiae sufficientem congruentiam habere; nam hic est potissimus finis divinorum operum, eorum præsertim, quæ supernaturalia, ac miraculosa sunt; ergo sacramenta sanctificantia possent esse congrua statui innocentiae, non ad medicinam peccatorum, sed ad majorem perfectionem. Nec contra assertionem hanc obstant fundamenta primæ sententiæ, nam licet non sit naturalis ordo, ut homo perficiatur per sensibilia in gratiæ augmento, vel intensione, sed supernaturalis, tamen non est necesse ut hoc fiat solum occasione peccati, cum per se habeat alias convenientes rationes vel congruentias tam ex parte Dei, quam hominis, neque hoc esset proprie hominem subjeci sensibilibus rebus, sed Deo in usu alicujus rei sensibilis, quod non repugnabat cum perfectione illius status, ut ostensum est in exemplo ligni scientiæ boni et mali.

6. *Adamo in statu innocentiae nullum traditum sacramentum.* — Secundo, dicendum est de facto nullum fuisse sacramentum institutum, aut traditum Adamo in statu innocentiae, quatenus brevi tempore ante lapsum duravit. Hæc assertio non potest certo fundamento ostendi, quia non est revelata in Scriptura, vel traditione hæc pars, qua negatur fuisse sacramenta in eo statu; fit autem verisimilis ex eo quod nullibi fit mentio talium sacramentorum, et cum aliunde tempus, quo ille status duravit, fuerit brevissimum, ita ut vix potuerit esse locus tali usui sacramentorum, cumque Deus præsciisset instantem lapsum hominum et amissionem illius status, non erat cur ipse pro tam brevi tempore instituisset sacramenta; neque etiam Adam potuit ea instituere, aut definire, etiam si hoc illius arbitrio fuisset commissum. Et ad hoc confirmandum valent illæ conjecturæ, quod primi homines pro illo brevi tempore non indigerunt sacramentis, quia erant perfecti in scientia et cognitione rerum supernaturalium, et in gratia et justitia, quantum pro tunc oporteret.

7. *Num matrimonium in statu innocentiae fuerit sacramentum. — Respondetur proprie non fuisse sacramentum. — Adam primum per revelationem cognovisse incarnationem, deinde proportionem matrimonii cum illa, probabile.* — Solum potest objici, quia matrimonium videtur tunc fuisse sacramentum; Paulus enim, ad Ephes. 5. loquens de conjugio

Adæ et Evæ, dixit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Dicit potest, Paulum non dicere: Sacramentum hoc magnum fuit, sed: Sacramentum hoc magnum est, ut sit sensus, matrimonium, quod in Adam et Eva inchoatum fuit, nunc esse sacramentum significans conjunctionem Christi cum Ecclesia, non vero, quod a principio eam rationem, vel significationem habuerit. Sed contra hoc est, quia fere omnes Patres ex his verbis Pauli colligunt in formatione Evæ ex costa Adami, et in conjugio utriusque significatam fuisse incarnationem Verbi Divini, eamque significationem prophetice revelatam fuisse Adamo, ut in primo tomo hujus 3 part., q. 4, in comment. art. 3, fuse dictum est. Unde Hug. de S. Vict., lib. 4 de Sacram., part. 8, cap. 42 et 43, ab assertione posita excipit matrimonium, quod solum sacramentum dicit esse institutum in statu innocentiae. Addit vero hoc esse intelligendum de sacramento, quantum ad significationem; quo verbo indicat se loqui de sacramento in generali significatione, qua complectitur quodcumque mysterium, figuram, vel signum rei sacræ. Dicendum est ergo, Deum illo opere voluisse quidem præsignificare desponsationem Verbi cum humana natura, seu Christi cum Ecclesia, non tamen instituisse proprie contractum matrimonii in sacramentum, quia neque ad aliquam hominis sanctificationem illud ordinavit, neque fecit illud cæremoniam sacram, aut religiosam, cum certum apud omnes sit, tunc non fuisse datam gratiam ex opere operato per matrimonium; cum enim hoc sit opus gratiæ maxime supernaturale, non est sine fundamento affirmandum. Addit etiam D. Thomas, in 4, d. 1, art. 2, q. 2, Adam non cognovisse mysterium incarnationis per illud signum sensibile matrimonii, vel formationis Evæ ex costa, sua; sed e contrario potius, postquam perfecte cognoverat futurum mysterium per divinam revelationem, cognovisse per infusam sapientiam (quam habebat) proportionem, et analogiam, quæ erat inter matrimonium illud, et mysterium futurum, et ita ænigmatically prædixisse, et prophetasse mysterium futurum sub velamine rei sensibilis; itaque significat, illud signum non tam fuisse a Deo impositum, quam ab ipso Adamo cognitum et accommodatum, quod est probabile. Quocumque vero modo id factum sit, recte ex hoc facto colligimus, quod antea dicebamus, non repugnasse perfectioni illius status uti sensibilibus signis ad spiritualia et divina mysteria explicanda.